

positum nobis est: *Sape enim labimur omnes, Jac. III. 2.* quin & è statu gratiæ ad præretica peccata relabi possint: nam & perfectismus regenitis à quibusdam tributus dudum explosus, & perseverantia sanctorum, quam Reformati venditant, sufficienter refutata est. Quid autem dicemus? An regenitus formaliter spectatus & quæ talis peccat, ita ut gratia regenerans, quæ præditus, in eo causa peccatorum existat? Absit per omnem modum! Nam *Johannes I. Ep. III. 9.* disertis edixit verbis: *Omnis qui natus est ex DEo, peccatum non facit; quia semen Ipsi in eo manet: imò non potest peccare, quatenus ex DEo natus est.* Peccat itaque renatus materialiter consideratus, per connatum ipsi malum sive carnem, in statu etiam regenerationis in eo residuam, *Rom. VII. 22. 23. Gal. V. v. 17.* Quemadmodum igitur in homine regenito duo adsunt agendi principia, Spiritus atque caro, quorum effectus inter se confundendi non sunt; ita non minùs in Atheo duo ad agendum eum moventia interna principia sunt, alterum Atheismus, alterum vel nativa indolis bonitas, vel insita DEi legisque naturalis notitia, cum conscientia abinde dependente: ubi quæ hujus sunt, isti non magis, quam quæ ab isto procedunt, huic tribui queunt.

§. VI.

Sed duo heic opponi video: alterum, si quis Atheorum improbè vixerit, improbitatem hanc non tam ab Atheismo provenire, quam ab Athei ipsius imprudentia, ignorantia & errore circa bonum & malum verum dijudicandum debiteque æstimandum; alterum, quod ex eodem hoc fonte in aliis quoque, Atheismo licet non addictis, impietas multa promanet.. Verùm ad prius quod attinet, dicendum potiùs foret, quanquam Atheismus Atheum ad scelera quævis patranda stimulet incitetque, prudentiam tamen illius, si modò juxta Scripturam ac genuina Moralis Philosophiæ principia veræ prudentiæ nomen sustinere queat, & non magis calliditas dicenda sit, efficere, ut non semper & ubique, quorsum cupiditates ipsius eum trahunt rapiuntve, sequatur, sed recalcitrante quantumvis voluntate